

hujus Judicij àquè incertum est ac tempus futurae resurrectionis.

DISPUTATIO LIII.

De beatis & damnatis.

PLura ad hanc Disputationem pertinentia videri posse terunt tum 1. parte, ubi fusè de visione Dei, tum 1. 2. Disput. II. & Disput. XVII.

QUÆSTIO I.

De conditionibus corporum beatorum.

DICO. *Corpus humanum beatificabitur ex redundantiâ à ratione, à quâ homo est homo, in quantum erit ei subditum S. Th. in suppl. Q. 81. A. 4. ad 2.*

Explicatur & probatur Conclusio: sicut ex gratia in statu innocentiae dimanabant qualitates & dona, quibus corpus perfectè subjiciebatur animæ, & optimè dispositum erat, ut congruum esset animæ habitaculum; & in statu naturæ reparatae à gratia hujus viæ dimanant virtutes, quibus appetitus superior Deo, & appetitus inferior superiori subordinatur, ita à gloria animæ & à gratia consummata patriæ certæ quedam dotes vel physicæ vel moraliter redundabunt in corpus videlicet impassibilitas, claritas, subtilitas & agilitas ut probatur tum ex Apostolo 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ, seminatur in infirmitate surget in virtute, seminatur corpus animale surget corpus spirituale. Est autem harum corporis gloriosi dotium ratio: quia ut sit perfectè subditum animæ glorificari et requiruntur, potest enim anima dupliciter considerari, imprimis quatenus est principium eliciendi actiones sensum tum interiorum tum exteriorum. Deinde in quantum est principium motus & quietis localis, si priumo modo consideretur, requiritur ex parte corporis debita & congrua dispositio, ut ani-

ma

ma beata in eo dignè & recipi & operari possit, quare omnia removenda sunt, quæ ejus beatitudinem aliqualiter obfuscant, ac ita per impassibilitatem tolluntur qualitates corporis bonæ dispositioni repugnantes, & per claritatem elevatur corpus, ut sit subiectum habile ad animam beatam, ejusque actiones beatificas recipiendas, si secundo modo spectetur: opus est subtilitate, ne anima illa possit ab aliquibus in suo motu impeditiri; & agilitate, quâ sit corpus habile ad quemcunque motum velocissimè peragendum, denique per has dotes imperfectiones corporum corriguntur, per impassibilitatem tollitur mortalitas & mutabilitas, per claritatem confertur splendor & lux, quæ sunt qualitates turpitudinis expulsivæ, per subtilitatem & agilitatem tollitur, quidquid est impedimentum motus localis.

Q U A E S T I O . II.

De conditionibus damnatorum corporum.

DICO. Quidquid defectus vel turpitudinis ex corruptione vel debilitate naturæ sive principiorum naturalium incorpore fuit, totum in resurrectione removebitur, sicut febris, lippidudo & similia, defectus autem qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, scilicet ponderositas & similia in corporibus damnatorum erunt.

S. Th. suppl. Q. 86. A. 1. O.

Explicatur: duplices generis sunt defectus in corpore, alii contingunt in homine, quod debita dispositio naturalis vel in quantitate vel qualitate, aut in situ desit videlicet quod corpora non sint integra vel infirmitatibus & morbis subjecta, & tales defectus probabilitas non erunt in corporibus damnatorum. *Ratio est:* quia cum talis reparatio sit opus solius Dei, Deus ut author naturæ naturam integrè reformabit; deinde defectus staturæ, ad quam quis ob debilitatem naturæ non pervenit, juxta communiorem sententiam reformabitur, ergo & alii defectus.

Rr. 2

Nec

Nec dicas: per hoc aliquod damnatis dari beneficium;

Contra enim est: quod hæc damnatorum corporum reformatio, licet sit aliquod beneficium quasi concessum ab authore naturæ, non tamen quantum ad hoc, ut damnatis bene sit in ordine gratiæ, sed ut pœnas in corporibus patiantur.

Alii sunt defectus, qui ex intrinsecis naturæ principiis proveniunt: nempe, qui ipsi corpori sunt con-naturales: ut gravitas, passibilitas &c. & tales defectus in beatorum corporibus per dotes suprà enumeratas tolluntur, in damnatorum verò corporibus remanebunt, undè etiam damnatorum corpora de se erunt corruptibilia, cum nullum in ipsis sit recipiendum intrinsecum principium, quod corruptibilitati resistat, sicut recipietur in corporibus beatorum, sed quia primum alterans, & consequenter corruptionis principium est motus cœli, qui post resurrectionem cessabit, hinc nullum erit agens, quod corpus naturale per alterationem transmutare & corrumpere possit, undè deficiente corruptionis principio damnatorum corpora erunt incorruptibilia, nec unquam corruptentur, ut sic perpetuò puniri possint.

Nec obstat: quod ab igne patientur, ignis autem est maximè alterativus & corruptivus illius, in quod agit.

Nam contra est: quod ex ordinatione divinæ justitiae damnati quidem ab igne maximos cruciatus patientur, sed non consumentur; pro cuius intelligentia S. Th. hic A. 3. ita discurrit: *cum pati sit recipere quoddam, duplex est modus passionis, secundum quod aliquid in aliquo recipi potest dupliciter, potest enim aliqua forma recipi in aliquo subjecto secundum esse naturale materialiter, sicut calor ab igne recipitur in aere materialiter & secundum hunc modum receptionis est unus modus passionis, qui dicitur passio natura, alio modo ali-*quid

quid recipitur in alio spiritualiter per modum intentio-
nis cuiusdam , sicut similitudo albedinis recipitur in
aere & in pupilla, & haec receptio similatur illi receptioni-
ni, quia anima recipit similitudines rerum, unde secun-
dum hunc modum receptionis est aliis modis passionis,
qui vocatur passio anima; quia igitur post resurrectio-
nem motu cœli cessante non poterit aliquid corpus altera-
ri à sua naturali qualitate, ut dictum est, nullum corpus
pati poterit passione naturæ, unde quantum ad hunc mo-
dum passionis corpora damnatorum impassibilia erunt,
sicut & incorruptibilia. Sed cessante motu cœli adhuc
remanebit passio, quæ est per modum animæ: quia &
aer à sole illuminabitur: & colorum differentias defe-
ret ad visum, unde & secundum hunc modum passio-
nis corpora damnatorum passibilia erunt; ex quo dis-
cursu infertur corpora damnatorum passura ab igne, in-
quantum intentionaliter species ignis inconvenientes
in sensu recipientur; non autem naturaliter, in quan-
tum ignis simul adfert qualitates organi lœsivas & cor-
ruptivas quod ibidem ad 3. & 4. S.D. exponit.

Q U Ä S T I O III.

De intellectu & voluntate Beatorum &
Damnatorum.

DICO 1. Ille, qui Deum videt delectatione indi-
gere non potest S. Th. 1. 2. Q. 4. A. 1. ad 2.

Explicatur Conclusio: Intellectus & voluntas bea-
torum præter virtutes, quas in hâc vitâ habuit, &c, si
non repugnant statui beatitudinis, retinebit, vel ad
exercitium vel ad ornatum, de quo alibi, ex divinæ essen-
tiæ visione summè beata erunt, inæqualiter tamen se-
cundum inæqualitatem charitatis in hâc vitâ habitæ,
unde intellectus beati præclaris dotibus erit ornatus,
clare cognoscet omnia ad suum statum pertinentia
etiam pœnas damnatorum: cum ex harum cognitio-
ne beati ad majores Deo gratias agendas commovebun-
tur, attamen nec voluntas deliberatè compatietur

damnatis, cum damnati nunquam à suā miseriā sint liberandi, nec appetitus inferior, qui perfectè rationi erit subjectus, sed potius de pœnis damnatorum, non quā talibus, sed in quantum in illis divinæ justitiae ordo & sua liberatio reucebit, gaudebunt.

DICO 2. In damnatis erit actualis consideratio eorum, quæ prius sciverunt, ut materia tristitia, non autem ut delectationis causa. S. Th. in suppl. Q. 89. A. 7. O.

Explicatur Conclusio: in intellectu damnatorum remanebunt species intelligibiles eorum, quæ in hoc mundo sciverunt: cum illæ nec per se per formas contrarias, nec per accidens ad destructionem subjecti destruantur, sicque intellectus damnatorū adhuc habebit notitiā illorū, quæ scivit in hoc mundo, undē Abraham diviti Epuloni Lucæ 16. Recordare: quia recepisti bona in vitâ tuâ, ex hâc autem notitia nullum in voluntate damnatorum gaudiū, sed sum̄us incertor orientur: tum quod recordabuntur malorum, quæ gesserunt, & honorum quæ amiserunt; tum quod ad perfectam regum cognitionem se pervenire potuisse agnoscant, de malis autem tristabuntur quidem, in quantum sunt ipsis causa pœnarum, sed non ut sunt mala, sed ut sic in illis voluntas semper obstinata manebit. Poterit quoque in ipsis esse desiderium, ut non essent, ut ita terminarentur pœnæ, & est tantum aliorum odium, ut omnes vellent esse suæ damnationis socios etiam illos, quos in hoc mundo sive ordinatè sive inordinate dilexerunt; agnoscent quoque damnati Deum non ut in se sed in effectibus suis reluentem, sed eum propter pœnas sibi inflicas summo prosequentur odio, ut & beatos, quorum gloriam non quidem in se, sed confusè: videlicet cognoscendo illos in gloriâ quâdam inestimabili esse, videbuntia die Judicii extremi, in his tamen malis voluntatis affectibus licet damnati continuò & perpetuò peccent, nihil tamen demerebuntur: cum status demeriti sicut & meriti sit solus status præsentis vitæ.

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

De misericordia Dei respectu damnatorum.

Quartuor errores eorum, qui nimium extollentes divinam misericordiam docuerunt damnatorum pœnas non esse in æternum duraturas hic refert & confutat S. Th.

imus Error est originis ab Ecclesia reprobati, qui asseruit per divinam misericordiam & Dæmones & homines damnatos aliquando à pœnis liherandos contrà expressum textum Apocalyp. 20. v. 9. & 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudo propheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.*

odus est eorum, qui asserebant non Dæmones, sed homines etiam infideles aliquando à pœna liberandos contrà illud Match. 25. *ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Sicut ergo æterna erit beatorum Angelorum & hominum gloria, ita æternum quoque damnatorum hominum & Dæmonum supplicium, cum utrique sint in malo obstinati; neque enim ea, quæ in S. Script. dicuntur de pœnarum gravitate & æternitate tantum sunt comminatoria, sed etiam verè inferenda, si ante finem vite non præcedat emendatio, & si (inquit S. Greg. lib. 4. dial. cap. 44.) *minatus est, quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem, quod dici nefas est, predicare compellimur.*

ius error est eorum, qui solos Christianos esse tandem liberandos à pœnis asserebant; verum hi quoque, ut S. Th. ex S. Aug. lib. 21. de civit. Dei cap. 20. & 21. refert, inter se distrebant; aliqui requirebant, ut sola Sacra menta fidei suscepissent, licet in Idolatriâ aut hæresi persistentes mortui fuerint, & hos volebant aliquando fore à pœnis imminentes, verum his contradicit Apost.

Hebre

Hebr. 11. *sine fide impossibile est Deo placere*; ergo & impossibile est liberari à reatu, cum quo ex hac vita migrarunt. Alii exigebant præter fidei Sacramenta etiam ipsam fidem aliquando habitam, licet postea in Hæresin vel gentilium Idololatriam lapsi fuerint, verum hic error confutatus manet ex eo, quod à fide catholicâ recedentes, postquam eam semel suscepérunt, majore pœnâ digni sînt, quam illi, qui veram fidem nunquam suscepérunt. Aliqui demum cum Sacramentis fidei requirebant solam in fide catholicâ perseverantiam; sed cum omnibus male viventibus & in peccato morientibus sacra Scriptura comminetur æternas pœnas, atque fides sine operibus mortua est. Jac. 2. Christus etiam non veram fidem profitentibus sed voluntatem patris facientibus promittat regnum cælorum, omnes hi nunquam à suppliciis liberabuntur, imò de christianis male viventibus 2. Pet. 2. dicitur: *melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem veritatis retrorsum converri ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Atius error est eorum, qui tantum tribuebant teste S. aug. lib. 21. de civit. Dei cap. 27. operibus misericordiæ, ut judicarent omnes misericordiæ opera exercentes vel non puniendos vel à pœna aliquando liberandos esse. Sed falsitas hujus erroris patet tum quia indefinite peccatores impoenitentes à regno cælorum excluduntur 1. Cor. 6. & ad Gal. 5. tum quia expressè Apost. 1. Cor. 13. *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas . . . charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Tum quia alias nulla esset pœnitendi necessitas contrà illud Christi Luc. 13. *nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis.*

Non obstant textus commendantes opera misericordiæ Luc. 11. date Elæmosynam Ecce omnia munda

munda sunt vobis Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato
 & morte liberat, & non patietur animam ire in tene-
 bras; quia hi aliique textus agunt de Eleemosynâ,
 ut oportet, datâ & cum aliis operibus bonis & pœni-
 tentiâ pro peccatis præteritis conjunctâ. His igitur
 erroribus relictis, ut sciatur qualiter misericordia
 Dei, quæ invenitur in omnibus Dei operibus, etiam
 reperiatur in pœnâ damnatorum.

DICO Deus, quantum in ipso est, miseretur omnibus,
 sed ejus misericordia . . . ad quosdam se non extendit,
 quise misericordia fecerunt indignos: sicut Dæmones &
 damnati, qui sunt in malitia obstinati, tamen potest
 dici, quod etiam in eis misericordia locum habet, in-
 quantum curâ condignum puniuntur, non quod à pœ-
 na totaliter absolvantur S. Th. in suppl. Q. 99. A. 2.
 ad 1.

Prima pars patet ex iam dictis: quia æternaliter
 puniuntur damnati homines & Dæmones pœnâ in-
 ferti, nec ulla datur illis unquam pœnæ mitigatio,
 minus liberabuntur à pœna. Historiæ oppositæ tan-
 quam fictitiæ recipiuntur, in quibus aliqui à pœnis
 inferni liberati leguntur.

Secunda pars explicatur & probatur: licet non ad-
 mittatur misericordia Dei damnatos à pœnaliberans.
 Attamen admittitur in hoc divina ergâ damnatos
 misericordia, quod Deus eos pœnâ minus acerbâ
 quam peccata eorum mereantur, puniat, dignum
 enim est peccatum quodvis mortale quâvis pœnâ
 acerbiore & acerbiore in infinitum syncategoremati-
 tice, ut patet ex iis quæ 1.2. Disput. XIII. & Dis-
 put. XVII. dicuntur, undè justus & simul misericors
 Deus damnatos puniet quidem in æternum, sed in-
 frâ condignum, cum hæc pœna acerbitate suâ con-
 dignitatem peccati mortalis minimè adæquet.

Obj. Judicium sine misericordia illi, qui non fecit
 misericordiam Jac. 2. ergo saltem aliqui damnati si-

ne misericordia puniuntur. Deinde Apocalyp. 18: dicitur commensurandum tormentum deliciis & glorificationi. Denique Rom. 2. dicitur Deus redditurus unicuique secundum opera sua. Non redde-ret autem secundum opera, si puniret infra con-dignum.

¶. Ad 1. Quod gravius patiatur Judicium ille, ut non habeat aliquos, qui pro ipso ob charitatem exhibitam interveniant, qui non fecit misericor-diam, & ita comparativè ad alios dicitur esse Judi-cium sine misericordia.

Ad 2. Quia Deus proportionem servabit inter delicta & pœnas, meritò dicitur infligere tor-men-tum secundum quantitatem deliciarum, licet sem-per absolutè sit inferius malitiâ peccati. Eodem modo redditur unicuique juxta opera: quia bonis merces, malis operibus pœna retribuitur, sed nun-quam adæquans ipsam peccati mortalis malitiam. Ac ita misericordiâ Domini non tantum plena est terra, sed nequidem omnino destituitur Infernus, ut ita in omnibus & super omnia glorificetur Deus; ad cuius gloriam cunctorumque in cœlo beatificâ ejus visione frumentum honorem cedant universa, que-tum in hoc tum in prioribus voluminibus sunt com-pilata. Utinam rectè & ad Angelici Præceptoris men-tem, & secundum Orthodoxæ Ecclesiæ sensa, à quibus si vel in minimo recessum sit, totum ejusdem correctioni irre-fragabili subsit.

F I N I S.

p. 18.
cils &
is red.
edde.
l con.

n ille,
tatem
tico
Judi

intet
men.
sem.
odem
bonis
hun.
tiati
na est
tnus,
us; ad
à ejus
qua
com.
mena
la,

